





Cc 419

478

7 Stephanus, Hausman

notat 2) — 10)

Cc 418



8  
BALTHASARIS

CROSNIEVICII LITUA-

NI, DOCTORIS

In

*Octo libros*

POLITICOS ARISTOTELIS

INTRODUCTIO.

*Peripateticis & Rameis*

*Studiosis profutura.*



NORIBERGÆ,

*Typis Christophori Lochneri,*


clō lō c i i i .





**GENEROSVM**

*Et omni favore dignum in-  
genium, cui sunt cordi disci-  
plina Politica.*







*Illustri & Generoso*

**D N. D. P E T R O**

**G O R A I S K I A G O R A Y & C.**

*Dn. meo Clementissimo.*



**O**FFERO Illustri Gen. T. exiguum hoc  
opusculum, quo summam & ordinem  
Politicorum Aristotelis consignare,  
sum conatus. Prima lineamenta duxi, quia non  
aliud propositum mihi, quam auditorem quem-  
vis, etiam male alioqui de Aristotelis operibus  
sentientem, in pulcherrimum hoc opus induc re.  
Tu Illustris ac Generose Domine, qui de hisce  
rebus, omnium optimè judicare potes, accipe  
hanc compellationem meam, eo animo quo à me  
Ill. G. T. offertur. Sic ego voti meo compos reddar,  
sic opusculo huic, decus accedet. *Vive longum,  
Ecclesie Dei, ac Reip. summo bono; Vive o he-  
ros .... znanime, & me, quem ex sola bonorum  
virorum commendatione amare cæpisti, ex  
hujus libelli dedicatione, porrò benivolentia pro-  
sequi non dedigneris.* Altorph. Cal. Novemb.

**Anno DISCE MORI.**

*Illustri G. T. addictissimus*


**Balthasar Crosniewiczus. S S. Theol. D.**





## LECTORI S.

**P**olitica Aristotelis, lector amice, partim neglecta, partim contempta haecenus fuerunt. Quid causa? Alii aliud; plerique confusionem operis, praetenderunt. De qua, nil dicam. Boni, qui id legerunt, judicare poterunt. Ego dolui vehementer, tam praclarum opus, & ab Aca-  
demiis publicè, & privatim à quovis fuisse neglectum. Incubui igitur lector amicè, ut te, quisquis es, Rameus seu Aristoteleus, adduce-  
rem ad pulcerrimum hoc, octo libris apud Arist.  
comprehensum opus. Si id pro tuo palato, est  
quod gratuler; sin minus, est quod me excu-  
sem, & animum promptum in te & tua studia  
obtendam. Vale lector amice, & conati-  
bus his, subsequiturisque, fave.  
Altorphii.



INTRO.





INTRODUCTIO IN  
POLITICA ARISTO-  
TELIS.

**S**cientia Politica, est pars Philosophiæ  
practicæ, considerans civitatem, di-  
rigendam ad felicitatem, *1. Oec. 1. 1. Polit.*  
*cap. 1. & lib. 7. c. 1.* per optimam Rempub.  
ejusque leges.

*Hujus, partes due.*

*Prima, de Materia seu subjecto circa*  
*quod.*

*Secunda, de ejus Forma.*

DE MATERIA  
Politica.

*Materia ejus, est civitas 1. Oec. publici*  
*& præstâtissimi boni causa instituta. 1.*  
*polit. c. 1.*

*De hac agitur, tum in abstracto, tum in*  
*concreto.*

*In abstracto de civitate, progreditur*  
*Aristotel. à minimis partibus 1. pol. 1. 2.*  
*omnibus naturâ constantibus, methodo*  
*synthetica 1, pol. c. 2.*

A 3

*Hujus*



## INTRODUCTIO IN

*Hujus, tūm principia consideranda, tūm  
principiatum.*

*Principia sunt, tūm simplicia, tūm  
conjuncta.*

*Simplicia, sunt inventa, ad societa-  
tem privatam domesticam, i. polit. c. 1.*

*In his duo, Personæ & Res. i. polit. c. 3.*

*In Personis duo, Conjugatio earum, &  
virtutes.*

*Conjugatio triplex est, i. polit. c. 3. 8.*

*Prima. Mariti & Uxoris, ad procrea-  
tionem liberorum, non ad servilia offi-  
cia. i. polit. c. 1. ex naturali desiderio, non ex  
instituto facta.*

*Secunda, Patris & Filii, quæ ex prio-  
ri orta. i. polit. c. 3.*

*Tertia, Domini & Servi. i. polit. 1. 3.*

*Dominus dupliciter dicitur. Naturâ &  
Lege seu Conditione. i. polit. 3. 4.*

*Dominus natura est, Qui cogitatione  
prospicit, quod servus corpore exequi-  
tur. i. polit. c. 2. Hujus scientia tota, sita est in  
eo, ut possit uti servis. i. polit. c. 4. Varia au-  
tem, pro varietate officiorū serviliū, ibid.*

*Dominus conditione est, quem lex, con-  
ditio & fortuna talem fecit. Qui natura  
servus*



POLITICA ARISTOTELIS.

servus est, fieri sæpè potest, conditione dominus. *1. pol. c. 4.*

*Servus* itidem dupliciter dicitur. Natura & Conditione. *1. pol. c. 4. De servo natura, varia queruntur ab Arist. I. Quid sit?*

Qui non est sui ipsius, vim habens instrumenti activi & separabilis, ad ea corpore exequenda, quæ dominus natura, cuius est, mente prospicere potest, utrique suo modo conducentia. *1. pol. c. 3. & 4.*

II. *An sit ullus naturâ servus? Affirm. lib. 1. c. 3.*

III. *An sit aliqua scientia servilis? Aff. 1. polit. c. 4.*

IV. *Quæ sint officia servilia? Alia honestiora, ut obsonari, mensam struere; alia inhonestiora, necessaria tamen, ut ligna secare, calceos purgare, 1. polit. c. 4.*

V. *Quid differat servus naturâ ab artifice? R. 1. polit. c. 8.*

*Servus conditione est, si quis bello aut vi superatus, in potestatem redigatur. 1. polit. c. 4.*

*De servo conditione queritur.*

I. *An talis servitus sit justa vel injusta? Disting. 1. pol. c. 4.*

A 4

II. *An*



## INTRODUCTIO IN

II. *An omnis servus conditione, sit servus naturá?* Negatur, sed de aliquibus tantum conceditur. *1. pol. c. 4.*

*Expedita conjugatione: Virtutes sequuntur.*

*Virtutes* sumuntur à differentiâ personarum, quarum alię imperant, alia parent. Imperat maritus uxori, parens filio, dominus servo. Parent, uxor marito, filius patri, servus domino. Virtutes igitur istorum, sunt partim communes, partim proprię. Communes ratione ea, qua homines sunt; Proprię, ratione officii; & diversę, in diversis personis. Omnia hæc vide *1. pol. c. 8.*

*Fuerunt personę: sequuntur res sine quibus societas conservari nequit.*

Græci *γενναλισμὸς* & *κτηλισμὸς* vocant. *1. pol. c. 3. 5.*

*In his duo observanda.*

Acquisitio & Usus.

*Acquisitio*, (an hæc sit pars Oeconomica, an non, disceptatur. *1. polit. 5. 7.*) est triplex, Naturalis, Artificialis, Mixta.

*Naturalis* dicitur, quam natura in victu monstravit.

Est duplex, Simplex & Mixta. Simplex, *1. polit. c. 5.* triplex est, Pastoralis, A-  
agri-



## POLITICA ARISTOTELIS.

agricolarum, Prædatoria. Pastoralis, est ex  
pastu mansuetorum. Sub hac, Leporaria,  
Piscinæ, Aviaria continentur.

Agricolarum est, quæ in agris exco-  
lendis versatur; iisq; consitis arboribus,  
ut horti sylvæ: vel nudis, ut prata campi.

Prædatoria duplex est. 1. Latrocinium.  
Idq; vel justum, in barbaros ex bello, vel  
injustum, in homines liberos &c. 2. Ve-  
natoria, sub qua Piscatoria, Aucupium,  
Ferarum venatio.

Mixta varia est, prout conjunxeris  
simplices. Et hodiè in usu est.

*Hec est acquisitio naturalis.*

*Artificialis seu permutatoria, duplex.*  
*1. polit. c. 6. tot. (differentia istarum ibid) Se-*  
*cundum, & præter naturam.*

Secundum naturam, etsi non natu-  
ralis, vel est absque medio, cum scil. res  
pro rebus permutantur: vel, per medi-  
um peragitur. Hoc medium, est num-  
mus. Cujus inventio, distinctio, & verus  
usus ibidem monstratur.

Præter naturam, 1. polit. c. 7. quæ vul-  
gò cauponaria & nummularia dicitur,  
est triplex. Mercatura, Fœneratoria &  
Mercenaria.

A 5

Merc.



## INTRODUCTIO IN

Mercatura, vel est nautica seu maritima, vel subvectoria seu terrestris, vel stataria seu institoria.

Fœneratoria, quando pecuniæ pro pecunia dantur. *1. polit. 6. 7.*

Mercenaria est, qua locatur opus, vel corporum, ut bajuli: vel artium, ut mechanicum; vel denique virtutum, partim moralium, partim intellectualium. *1. polit. c. 6.*

*Euerunt species artificialis.*

*Mixta* dicitur, quæ partim naturalis est, partim artificiosa. Et fit, ex lapidibus, metallis, sylvis, cædis. *1. pol. c. 7.*

*Adhuc de acquisitione rerum.*

*Ufus rerum. 1. pol. 7.* duo continet, Præcepta & Exempla.

*Præcepta* ideo dantur, ut scias quæ maxime ad rem familiarem ex naturali acquisitione pertineant, quo loco, quo item tempore: item, quæ permutatio, quibus, quando, quo loco utilis: item, ut alios eade re legas, & propriâ experientiâ, similia colligas.

*Exempla ad usum rerum pertinentia, multa sunt.*



## POLITICA ARISTOTELIS,

ea sunt Hoc loco pertractat Arist. Thale-  
tis Milesii. Vide librum 2. Oecono. in quo  
nil nisi talia exempla advertes.

*Sic actum de principiis simplicibus materia  
in abstracto considerata.*

*Coniuncta principia sunt multa. Aristo-  
teles solum pagum nominat. 1. polit. c. 1.,  
qui definitur, quod sit societas secun-  
dum naturam, constans ex pluribus do-  
mibus, non quotidiani sed maioris usus  
causa. Tu ad pagum adde, vicum, oppi-  
da, urbem, &c.*

*Atque sic de materia in abstracto consi-  
derata principis.*

*Principiatum, est civitas. De hac istae  
quaestiones praecipue moventur.*

I. *An civitas sit à natura? Aff. 1. pol. c. 1.*

II. *Quid sit civitas. R. Societas quaedam,  
ex pluribus pagis constans, omnium bo-  
norum affluentiam, absolutam conti-  
nens, beatitudinis causa constituta, 1. po-  
lit. cap. 2.*

III. *Quis finis civitatis? R. Duplex. Inter-  
nus, convictus & communis utilitas. 3. pol.  
c. 4. Externus, seu ultimus, ipsa beatitudo,  
1. polit. c. 1. 8.*

IV. *An*



## INTRODUCTIO IN

IV. *An mutato Reipub. statu, civitas mutetur, seu, Quomodo civitas sit eadem & diversa? R. Si formaliter accipias, diversa est, quoties Respub. mutatur: si materialiter, quoties locus vel homines 3. polit. cap. 2.*

*Fuit de civitate in abstracto.*

*Civitas in concreto consideratur ratione civium. In civibus enim consistit.*

*Civis dupliciter dicitur. Nomine & re. 3. polit. c. 1.*

*Nomine tenus cives, sunt Facticii, inquilini; qui iisdem iudiciis sunt subjecti, exules, peregrini, notati ignominia, pueri, senes.*

*Reipsa civis est, qui capax est magistratus & iudiciorum. 3. polit. 1.*

*De hoc quarit Arist.*

I. *An eadem virtus viri boni & civis boni? Distin. 3. polit. c. 3. ubi etiam de virtutibus τὸ ἀρχόντι & δεχομένῳ.*

II. *An opifices sint cives? Dist. 3. pol. c. 3.*

III. *Ex quibusnam civibus constituenda sit Respub? Resp extat. 3. pol. c. 8.*

IV. *An qui virtute, divitiis ceteris antecellit,*



POLITICA ARISTOTELIS.

*dit, sit pro cive habendus & legibus subjiciendus?*

Discussionem ejus vide 3. polit. c. 9.

*Sic de materia politica seu subjecto circa quod:  
atq; adeò de prima ejus parte.*

*Quod ad formam Politia attinet duo ab Aristotele de ea tractata observo. Nam primò, aliorum Respubl. examinat. Deinde suæ sententiæ apodixin proponit.*

*Aliorum Respublicæ sunt in triplici discrimine. Nam, vel libris scriptis tantùm delineatæ sunt: vel in usu tum temporis extiterunt: vel, tantùm legibus, à suis legislatoribus, instructæ sunt.*

*Libris scriptis delineatæ tres numerantur, Platonis, Phalææ & Hippodami.*

*Plato scripsit duplicem Rempublicam, Prior continetur libris decem  $\omega\epsilon\iota\ \mu\alpha\lambda\iota\tau\acute{\alpha}\omega\nu$ . Posterior lib. 12. de legibus.*

*In libris  $\omega\epsilon\iota\ \mu\alpha\lambda\iota\tau\acute{\alpha}\omega\nu$  seu de Republ. duoreprehendit, Hypothesin, & ejus  $\mu\epsilon\acute{\iota}\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ .*

*Hypothesis est hæc, unitas est summum civitatis bonum. Quæ à contrario & impossibili refutatur. 2. pol. c. 1.*

*$\mu\epsilon\acute{\iota}\sigma\mu\alpha\tau\alpha$  sunt duo, Communio & mala constitutio.*



## INTRODUCTIO IN

*In communione ostendit quæ non sit,  
& quæ sit ferenda.*

Nulla modo ferenda est communio  
mulierum, liberorum, 2. *polit. c. 2. toto*, de-  
nique facultatum; idque tum ob incom-  
moda communionis; tum ob commo-  
da proprietatis. 2. *polit. c. 3.*

Ferenda verò & instituenda commu-  
nio est, in usu rerum, judiciorum, curiæ  
&c. Ad quam, assuescit quisque per ἔθος,  
Φιλοσοφίαν ἢ εὖ νόμους. 2. *polit. c. 3.*

*Mala constitutio Reip. Platonica est*, circa  
agricolas; Officium virorum & mulie-  
rum; Ordinationem magistratus; & Dif-  
ferentiam ingeniorum in hominibus, 2.  
*polit. c. 3. in fine.*

*Sequitur nunc refutatio librorum  
de legibus.*

Politiā, quæ tantum κατὰ διώραρον, de-  
scribitur in libris 12. de ll. reprehendit in  
genere, & in specie.

*In genere*; quod in iis libris, multa sint  
πάρρητα, ἀλλότρια quòd nihil de optima  
πολιτεία: quòd ταυτολογία crebra. 2. *polit.*  
*cap. 4.*

*In specie redarguit numerum civium,  
consti-*



## POLITICA ARISTOTELIS.

constitutionem urbis, quantitatem patrimonii; Magistratum, Divisionem ædificiorum, formam Reipubl.

*Fuit de Politia Platonis.*

*In Republ. Phaleæ Chalcedonii, reprehendit, æqualitatem arithmeticam fortunarum omnium, neglectum bellicæ facultatis adversus vicinos, indefinitum divitiarum modum; omisam exæquationem reliquarum fortunarum, præter agros; subjectionem artificum publicæ servituti, 2. polit. c. 5. toto.*

*Supereſt Politia Hippodami Mileſii.*

*In hac examinanda, duo agit. Primo enumerat capita præcipua Politicæ Hippodami. Hæc autem sunt capita. Divisio civium in opifices agricolas, & milites: Partitio agri, in publicum, sacrum & privatum; Leges judiciales, ubi quæstio movetur de legum mutatione: Remuneratio bene meritorum: Cura liberorum, quorum parentes pro patria, sunt mortui; Magistratus electio. 2. polit. c. 6.*

*Deinde, eadem capita, utrum se rectè an malè habeant, sedulo perquirat. in 2. parte ejusdem cap.*

*Exo*



## INTRODUCTIO IN

*Examinatis Politis, qua libris scriptis delineata sunt: aggreditur eas, quae in usu, tum temporis extiterunt.*

Tales Politiae tres recensentur, Lacedaemoniorum, Cretensium, Carthaginiensium.

*In Politia Lacedaemoniorum perpendit, conditionem servorum; mulieres male moratas; inaequalitatem possessionis; legem, de liberorum procreatione, de ephoratu, de senatoribus, de Regno, de Phydiciis, de praefectura navali de universa civitatis disciplina ad unam virtutem; de majori imperii, quam virtutis aestimatione, de arario, 2. polit. c. 7.*

*Cretensium Rempub. confert cum Lacedaemonica, in similibus & dissimilibus.*

*Similitudo est, quod ad cultores agrorum, Phydicia, Ephoriam, & publicas deliberationes.*

*Dissimilitudo est, quod ad publica convivia civium; Cosmorum seu Ephorum electionem, & periecorum seu servorum conditionem, 2. polit. c. 8.*

*Carthaginensis Reipublicae tractationem, duabus partibus absolvit. 2. polit. c. 9. In prima*



## POLITICA ARISTOTELIS.

prima similitudinem cum duabus superioribus. In secunda vitia enumerat, circa leges seu formam Reipubl. electionem magistratus, functionem ejusdem, deductionem Coloniarum.

*Super sunt Politia legibus tantum à legislatoribus instructa.*

*Solon Atheniensibus leges dedit n. 33.*

*Zaleucus Locrensis n. 34.*

*Charondas Catanensibus & aliis urbibus Chalcidicis in Italia & Sicilia n. 54.*

*Onomacritus Cretensis.*

*Philolaus Corinthius, Thebanis.*

*Draco, Atheniensibus.*

*Pittacus, n. 3. quib. tulerit, non memoratur. Extat ejus lex de ebriis duplici pœna afficiendis, etiam s. Ethicor.*

*Andromadas Thracibus.*

Omnia hæc, 2. polit. c. 9. breviter recensentur. Nec dubito, quin & has & plures Respub. Aristoteles diligenter examinavit, sed incuria temporis amissi sunt isti libri. Utile foret hodiè idem faceret.

*Post examinatas aliorum Respub. proponit tandem propria sententia apodixin.*

B

Forma



## INTRODUCTIO IN

*Forma Politia, est Respublica, Unde & vita seu anima civitatis dicitur 4. pol. c. 11.*

*In Republica verò consideranda sunt.*

Tria } *Essentia*  
      } *Species*  
      } *& Causæ ejus.*

*Essentia cognoscitur ex definitione, tum nominis, tum rei.*

*Nominis hæc est: Respublica est corpus civile vel corpus societatis legib<sup>9</sup> instructum, Status Reipub, Ordo, administratio civilis, forma civitatis, Anima civitatis, Rei est hæc: Respub, est multorum civium unitas, rectaq; ordinatio atq; descriptio, cum in cæteris aliis magistratibus, tum præcipuè in summo omnium & maximo, 3. polit. c. 1. 4. & lib. 4. polit. c. 1.*

*Essentia cognita: sequuntur Species.*

*Species Reipublicæ, quæ & formæ dicuntur (tantum sermo de simplicibus) duæ sunt, Communis & Rara.*

*Communis, quæ vulgò tempore Aristot. in usu fuit (ratione πολιτεύματ<sup>9</sup>. 3. polit. c. 4. quod obtinet magistratus non solus, sed legibus constrictus. 3. polit. c. 7.) dividitur in justam seu rectam; & injustam*



## POLITICA ARISTOTELIS.

stam seu pravam. 3. polit. c. 4. & libr. 4. c. 3.

Rectæ formæ sunt tres. 3. polit. c. 5. 7. Regnum, Aristocratia & Timocratia, quæ & politica in specie appellatur, 4. pol. c. 7.

Differentia istarum formarum, sumitur ex simili formarum domesticarum, 3. polit. c. 4. iudicium verò non aliunde, quàm ex virtute, 3. polit. c. 6.

Ordine nunc agendum de singulis formis, ita quidem, ut prius enumeratarum, explicatio; post Similitudo, Dissimilitudo & Opposita videantur.

REGNI species sunt quinque.

I. *Regnum Laconicum*, cuius hæc idem, Quòd sit imperium cum summa potestate, tantum in militia; perpetuum, hæreditarium, in quo etiam cura sacrorum habetur.

II. *Barbaricum*. Quòd est imperium herile, non violentum: hæreditarium, legibus constrictum.

III. *Æsimneticum*, Quòd est imperium suffragio delatum; ad certum tempus: interdum & ad res certas definitum.

IV. *Heroicum*, Quòd est imperium voluntarium, hæreditarium, legitimum, 3. polit. c. 10.

B 2

V. *Pamba-*



## INTRODUCTIO IN

V. *Pambasilicum* (de quo solo Aristote-  
li, in libris politicis propositū est agere; )  
Est imperiū, in quo unus aliquis, omni-  
um rerum summam potestatem habet,  
3. *polit. c. 11. 12.* Simile Oeconomico.

*De hoc regno, moventur ab Aristotele,  
varia quaestiones.*

I. *Præstet ne Regem, an legem imperare?*  
R. Etsi multa *δοξασικῶς* in utramque par-  
tem disputentur, tamen neutrum ho-  
rum, seorsim. sed utrumque simul con-  
cluditur, 3. *polit. c. 7. 11. 12.*

II. *Vtrum in eo casu, cum lex deficit, unus,  
an verò tota multitudo judicare debeat?* R.  
Posterius affirm. 3. *polit. c. 11.*

III. *An regnum debeat esse hereditarium,  
an electivum?* R. Poster. affirmatur, *ibid.*

IV. *An imperium regum antiquissimum.*  
R. affirm. *ibid.*

V. *An talis rex, circa se satellitium habere  
debeat?* Distinguitur, *ibid.*

VI. *An æquum & justum sit imperium re-  
gis Pambasilici?* R. Distinguitur, 3. *polit. c. 12.*

*Hæc de regno apud Aristotelem.*

*Aristocratia proponitur, tùm defi-  
nitio, tùm variæ species.*

*Defini-*



## POLITICA ARISTOTELIS.

*Definitio hæc, Quòd sit imperium plurimum quàm unius, ad utilitatem cõmunem spectans, 3. polit. c. 5.*

*Species ejus quatuor. I. In qua in magistratu eligendo, solius virtutis ratio habetur. Hic idem est (vide 3. polit. c. 11.) vir bonus & civis bonus.*

*II. In qua in magistratu eligendo, præter virtutem divitiarum & nobilitas spectatur.*

*III. In qua spectatur & virtus & divitiarum & populi libertas.*

*IV. In qua tantum virtutis ratio habetur, 4. polit. c. 7.*

*Hæc de Aristocratia.*

*Timocratia seu politica, vel simplex est, Et definitur imperium legitimum populi, ad utilitatem communem spectans, 3. polit. c. 5. vel mixta, ex Oligarchia & Democratia, de qua agitur, 4. polit. c. 8. 9.*

*Exposita sunt formæ rectæ.*

*Vitiosæ formæ Reipublicæ sunt tres, 3. polit. c. 5. 7. Tyrannis, Oligarchia, Democratia.*

*Tyrannidis species tres sunt.*

*I. Barbarica, quando pro suo arbitratu, Tyrannus cuncta imperat.*

B 3

Æsimne-



## INTRODUCTIO IN

II. *Æsimnetica*. Hæc utraque species secundum leges, fit in volentes, sed secundum leges pravas.

III. καὶ ἐξουσίῃ sic dicta, quæ maximè regno opponitur. Hujus propria i. Nullis legibus talis tyrannus obstrictus est. 2. Imperat paribus. 3. pro sua libidine. 4. ad suum usum, 4. *polit. c. 10.* Huc pertinet nobilis illa quaestio. An tyrannus sit ferendus. Suspendo hinc iudicium, ut & in reliquis.

*Tyrannis exposita est.*

*Oligarchia*, est imperium paucorum divitum, qui omnia ad suum commodum referunt, 3. *polit. c. 5.* Species ejus quatuor.

I. Quando ex magno censu,

II. Quando ex mediocri,

III. Quando ex successione,

IV. Quando ex principum libidine, & non secundum leges, aliqui in magistratum eliguntur, & imperant, *δυνασεία* dicitur, 4. *polit. c. 5. 6. 8. Et lib. 6. c. 6.*

*Oligarchia est exposita.*

*Democratia* est imperium multorum ex plebe, quæ omnia ad commodum pauperum, & maximè suum privatum refert,



## POLITICA ARISTOTELIS.

refert, 3. *polit. c. 5*. In ea æqualitas, scil. arithmetica, maximè dominatur., 4. *polit. c. 4*. copiosissimè de ea agitur, 6. *polit. c. 3. toto*.

*Species Democratia* dupliciter institui possunt, Primò, ex aditu ad magistratū. Deinde ex personis quibus constat.

*Ex aditu ad Magistratum*, species Democratia quinque numerantur.

I. In qua omnibus civibus, inquilinis, patet aditus, secundum leges tamen.

II. In qua ex censu tantum legitimo.

III. In qua, omnibus qui nulla ignominia sunt notati.

IV. In qua tantum civibus, sed secundum leges.

V. In qua omnibus, quicumque illi sint, pro libidine propria, absque legibus, patet aditus ad magistratum. Hæc mera est *ἀναρχία*, vide 4. *polit. c. 4*.

*Ex personis*, quibus constat, quatuor numerantur species Democratia.

I. Agricoliarum; antiquissima illa & optima: ubi quædam de agricultura interserit Arist.

II. Pastorum, quorum vita ex pascuis est,

B 4      Artifi-



INTRODUCTIO IN  
III. Artificum, Mercenariorum &  
Forensis turbæ.

I V. In qua, omnes superiores commi-  
scentur. 6. polit. cap. 4.

*Enumeratarum formarum Reip. tam recta-  
rum, quàm malarum, explicatio est expedita.*

*Similitudo earum vel in genere vel in  
specie spectatur.*

*In genere similes sunt omnes Forma.*

I. Quia omnes oriuntur ex domestica  
societate, 3. pol. cap. 4.

II. Quia omnes habent summum *πολί-  
τεια*, & quidem unum, *ibid.*

III. Quia omnes possunt dici optimæ,  
ratione ejus loci & gentis, in qua aucto-  
ritatem habent, vide 3. polit. 12. & lib. 4. c. 11.

*In specie, Similitudinem quandam ha-  
bent.*

Tum { *Regna inter se, 3. polit. 11.*  
*Regnum & tyrannis, quia scilicet utro-  
biq; unus imperat. 5. pol. c. 10.*  
*Oligarchia & Aristocratia, quia pauci.*  
*Democratia & Oligarchia, quia  
multi, 3. polit. c. 5.*

*Dissimilitudo sequitur.*

*Dissimilitudo, vel est in genere vel in  
specie.*

*In*



## POLITICA ARISTOTELIS.

*In genere* tùm malarum à bonis. Harum enim illæ sunt *παραξενείας* 3. *polit. c. 5.* tùm bonarum inter se, ratione scil. præstantiæ & excellentiæ. Regnum enim præstantissimum est, 7. *polit. c. 7.*

Siquidem id, quod maximè imperium meretur, in regno locum habet, virtus scilicet, 7. *polit. c. 7.* quæ maximè spectanda, 3. *polit. c. 8.* In specie, tùm inter Democratiam & Oligarchiam, 3. *polit. c. 5.* & 5. *pol. c. 1.* tùm Aristocratiam, Democratiam & Oligarchiam 4. *polit. c. 8.* tùm regnum & tyrannidem. 5. *polit. c. 10.*

*Superant opposita.*

Regnum & tyrannis, possunt dici contrariè: Aristocratia & Oligarchia, Politia, item & Democratia, subcontrariè opposita, Colliges id ex 4. *politicor. c. 2.*

*Hactenus de speciebus Reipub. sequuntur cause.*

Causæ Rerum publicarum dicuntur, quæ eam partim constituunt partim jam constitutam, in benè esse conservant, vel ad malum esse deturbant. Ideoq; sic dividuntur, ut aliæ sint constituentes, aliæ corrumpentes, aliæ conservantes.

B 5

De



## INTRODUCTIO IN

*De causis constituentibus.*

Causa constituentibus sunt tres, *Mediocritas civium, Arcana, & Partes cujusvis Reipublicae.*

*Mediocritas civium*, maximè constituit *Rempublicam*, quia nec ex nimium divitibus, nec ex nimium pauperibus, sed ex mediocribus constare debet *Respublica*. *4. polit. c. 11. toto.* Tales enim, magis idonei ad *Rempubl.* Rationes hujus rei eodem capite.

*Arcana Reipublicae*, aliàs *Sophismata politica*, seu consilia prudentissima vocari possunt. Sunt admodum praesertim in turbato *Reipublicae* statu (quemadmodum & stratagemata in bello. *Vide Lipsii, lib. 4. polit. c. 14 Et lib. 5. c. 17.*) necessaria.

*Duplicia* tantum ab Aristotele adferuntur. *Oligarchica & Democratica*. *4. polit. c. 13.*

*Oligarchici*, ne res ad plebem deveniat, comminiscuntur comitia, judicia, arma, magistratus, &c.

*Democratici*, ne divites ad imperium deveniant, iidem comminiscuntur eadem, sed contrario planè modo. ut patet in *supra-*  
*praci-*



## POLITICA ARISTOTELIS.

*præcitato loco Aristotelis.* Possunt ex aucto-  
ribus huc referri arcana Aristocratica &  
Regia, &c. quemadmodum libro 5. in  
causis conservandæ tyrannidis, adferun-  
tur quædam arcana Tyrannica.

*De Partibus Reipublicæ.*

Partes in quavis Republica (*bona seu  
mala*) sunt tres, Senatus, Magistratus, Ju-  
dicia. 4. pol. c. 14.

*De Senatu, quæruntur ista.*

I. *Quid?* R. Pars Republ. præcipua, de  
rebus ad totam Rempublicam commu-  
niter pertinentibus consultans.

II. *Quod objectum?* R. Varium. Habetur  
enim Senatus de bello & pace, de fœde-  
ribus vel ineundis vel dissolvendis: de  
legibus, vel ferendis, vel abrogandis, vel  
corrigendis: de potestate vitæ & necis,  
exilii, publicationis bonorum: de magi-  
stratu creando vel corrigendo 4. polit. 14.  
*vide 3. Ethic. Nicom. c. 3. toto.*

III. *Quinam consultare de quibus debeant?*  
R. Vel omnes de omnibus, vel quidam  
de quibusdam, pro ratione scilicet Rei-  
publ. Unde aliter in Oligarchia, aliter in  
Democratia fieri videmus. 4. polit. 14.

*Quomo-*



INTRODUCTIO IN

IV. *Quomodo eligendi tales? R. Suffragio potius, quàm sorte, ibidem. Sic de Senatu.*

*De magistratu similiter, ista proponuntur.*

I. *Quid sit? R. Latè significat omnem, qui est cum potestate. Strictè tantùm eum, qui habet jus consultandi, judicandi & imperandi, ac maximè hoc postremùm, 4. polit. c. 15.*

II. *Quotuplex sit? Duplex, 6. politic. c. 8. Alius enim necessarius est in Republica, alius non necessarius.*

*Necessarii magistratus, vel sunt politici vel sacri.*

*Politici, vel inferiores vel superiores.*

*Inferiores sunt, qui res communes curant, Et hi vel minoris notæ, vel majoris.*

*Minoris notæ, duplex, vel Urbanus, vel Suburbanus.*

*Urbanus est, præfectus fori & rerum venalium; præfectus ædificiorum in urbe, seu privatorum seu publicorum: Quæstor: Publicus scriba seu Notarius: Commentariensis seu custos carceris.*

*Suburbanus est, tum, qui agros vicinos moderatur: tum, qui sylvarum præfectus est.*

*Majoris*



## POLITICA ARISTOTELIS.

*Majoris nota magistratus sunt, custodes urbis: Censores: πολέμαρχοι seu duces belli. Sub quibus continentur, Amiralii, Magistri equitum, Marefchalli, Tribuni &c.*

*Superior Magistratus est is, penes quem est summum imperium, ut Senatus.*

*Sacri Magistratus, sunt duplices. Vel enim res sacras peragunt, ut sacerdotes, sacrifici: vel saltem procurant ea, quæ ad divinum cultum pertinent. Horum, alius est rex sacrorum, qui prytannis vulgò dicitur: alii verò inferiores, quibus commissa est cura scholarum, templorum: item, quæstores sacri.*

*Magistratus minus necessarij sunt γυναίκονομοι: νομοφύλακες: παιδόνομοι: γυμνασάρχοι: Ἰππικητῶν, τῶν ἀγώνων ἢ θεωρῶν. Omnia hæc sunt, 6. politic. c. 8.*

III. *Objectum magistratus?* R. Id facile patescit ex ipsa divisione, 6. politic. cap. 8. sub fin.

IV. *Unusne magistratus, omnibus rebus præficiendus?* R. Nequaquam, 4. politic. 15. §. libr. 6. c. 8.

V. *Qui-*



## INTRODUCTIO IN

V. *Quinam, in qua Republica in usu?* R. *Alius magis in alia. 4. polit. c. 15.*

VI. *Quot in quavis urbe debent esse, & quam diuturni?* R. *In parvis urbibus pauciores & diuturniores; in magnis plures & breviores, 2. polit. c. 1. & libr. 4. c. 15.*

VII. *Cui mandandus magistratus?* R. *Maximè viris bonis. 3. polit. c. 7. 8.*

VIII. *An debeat esse vicissitudo parendi & imperandi?* R. *Affirmatur, 7. polit. c. 14.*

IX. *De creatione magistratus tria quaeruntur, 4. polit. c. 16. toto.*

1. *A quibus cerari debeant?* R. *Aut ab omnibus omnes, aut à quibusdam certis omnes, aut ab omnibus quidam, & quibusdam quidam.*

2. *Ex quibus?* R. *Aut ex omnibus omnes, aut ex quibusdam omnes, aut ex omnibus quidam, aut ex quibusdam quidam.*

3. *Quomodo?* *Aut electione, aut sorte, aut partim sorte, partim electione. Haec omnia variè se habent, in variis formis rerum publicarum.*

*Sequitur de judiciis.*

*In judiciis tria quaerit Aristoteles.*

I. *De*



## POLITICA ARISTOTELIS.

I. *De objecto, id est, de quibus rebus instituantur judicia.* R. Objectum est; iudicium repetundarum, dum scil. ratio magistratus reddenda est: culpa frausque: Publicæ injuriæ: Negotia Reipubl: Lites privatorum & magistratuum: Privata sed magna commercia: Homicidia, peregrini, Pacta levia &c.

II. *Ex quibus iudices eligendi?* R. Aut ex omnibus civibus: aut tantum ex quibusdam.

III. *Quomodo eligendi?* Resp. Aut sorte, aut electione, aut utroque modo, 4. politic. cap. 17.

*Fuit de causis constituentibus: sequuntur corrumpentes.*

*In causis quamvis Rempublicam corrumpentibus, tum suam sententiam proponit; tum Platonis examinat.*

*Propriam sententiam proponit, ostendens tum ipsas causas conversionis rerumpularum, tum modos.*

*Utrumque, tum in genere, tum in specie, 4. politic. 2. & libr. 5. c. 2. 4. 5.*

*De causis corrumpentibus in genere.*

*Causa*



## INTRODUCTIO IN

*Cause generales sunt, quæ in omni Re-*  
*publica inferunt mutationem, s. pol. c. 4.*

*Eæ duplices, vel per se, vel per accidens.*

*Cause per se sunt, quæ sua natura, talem*  
*effectum, nempe everfionem rerumpu-*  
*blicarum producant.*

*Hæ triplices, cum motu, sine motu s. po-*  
*lit. c. 2. 3. & medio modo.*

*Cum motu duplices. Vel principales,*  
*vel minus principales.*

*Principales sunt quatuor. Contumelia,*  
*s. polit. c. 3. Excellentia sive præstantia, cui*  
*opponitur decrementum, s. polit. c. 3. vel*  
*privati alicujus, vel integri alicujus in Re-*  
*publica ordinis, s. polit. c. 4.*

*Minus principales, sunt quinque. πλε-*  
*ονεξία ἢ κέρδος, 3. polit. 3. ἕμη honor, ibid.*  
*Contumelia, ibidem. Fortuna seu cala-*  
*mitas, s. polit. 4. & Exæquatio ordinum,*  
*dissidentium. Sine motu sunt duæ*  
*ἰλιγωρία ἢ τὸ παρὰ μικρὸν s. polit. c. 3.*

*Medio modo sese habet unica ἀτεχνία*  
*τῶν δεχόντων inscitia imperantium.*

*Fuerunt cause per se.*

*Cause per accidens sunt duæ. τόπος s. pol. 3.*  
*καὶ ἐρωτική αἰτία, s. polit. 4.*

*Modi,*



POLITICA ARISTOTELIS.

*Modi post causas sequuntur.*

*Modi sunt duo,*

Vel, quando una forma Reipublicæ  
in aliam mutatur: vel, quando ii, qui in  
Republica sunt,

*Forma mutatur, vel ἀπλῶς vel κατὰ τι.*

*Ἀπλῶς* quando ex una forma, fit alia,  
ut, ex Democratia Monarchia, ut de Ly-  
sandro s. polit. c. 1. refertur.

*Κατὰ τι* quando non ipsæ formæ, sed  
earum intensio vel remissio mutatur, ut  
olim Heracleæ accidit, s. polit. 6. c. 12.

*Ii, qui in Republica, mutantur vel quod  
ad caput, vel, quod ad inferiores magi-  
stratus.*

*Quod ad caput, fit mutatio, quando,  
seditiosi manente eodem statu, guberna-  
tionem arripiunt, ut de Euagora refer-  
tur, s. polit. c. 10.*

*Quod ad inferiores magistratus, fit mu-  
tatio, quando in parte tantum, vel unus  
tollitur, vel novus constituitur, vel vetus  
corrigitur, s. polit. 17. & lib. 7. c. 14.*

*Utrunq; hoc, fit duobus modis iterum:  
Vel enim evertuntur Reipublicæ, do-  
mesticis seditionibus, vel externa vi ho-  
stium, s. polit. c. 7. 10.*

C

Do-



## INTRODUCTIO IN

*Domesticae everfiones*, fiunt vel vi, vel fraude, *s. polit. c. 4.* De externa vi hostium, nil determinatur.

*Fuit in genere de causis & modis: sequuntur in specie.*

*In everfione regni*, duo spectantur, *Causæ & Modi, s. polit. c. 10.*

*Causæ* sunt quinque, *Injuria, Rapinæ, Metus, Contemptus, Ambitio, Lucrum.*

*Modi* duo, *Internus & Externus.* *Internus*, fit per *seditionem & tyrannidem.* *Externus* verò quando vi hostium evertitur. *Hic, non facilè reperitur.*

*In Aristocratia*, duo sunt, *s. polit. cap. 7.* *Causæ & Formæ.*

*Causæ numerantur hæ, seditio, transgressio justæ, &  $\tau\epsilon\ \mu\upsilon\sigma\pi\omicron\nu$ .*

*Formæ* hæ; interdum mutantur in *Oligarchiam*, interdum in *Democratiam*, &c.

*Politia seu Timocratia*, nullas in specie causas ponit *Aristoteles.*

*Corruptione bonarum ostensa: malarum quoque formarum ostendenda est.*

*In corruptione Tyrannidis*, considerandæ *tum causæ, tum formæ.*

*Causæ*



POLITICA ARISTOTELIS.

*Causa*, vel sunt externæ, ut potentia hostium; vel internæ, ut odium & contemptus.

*Formæ sunt hæ*; Interdum mutatur in regnum; interdum in Aristocratiam &c. *s. polit. c. 10.*

*In Oligarchia conversione* similiter, tum causæ tum formæ, *s. polit. c. 6.*

*Causæ*, vel per se, vel per accidens.

*Per se*, sunt; Injuria; Seditio ob paucitatem; contentionem *δημαγωγῶν* inter se, vel inferiorum erga magistratus: & ambitionem.

*Per accidens* causæ, vel sunt tempore pacis, vel tempore belli ob diffidentiam. Sunt variæ; prout causa per accidens variatur.

*Forma est duplex*. Mutatur enim, interdum in contrarias, Tyrannidem scil. & Democratiam: interdum in homogeneas, id est, in alias species oligarchiæ.

*Democratiae formæ* cum causis conjunctim ponuntur. Mutatur enim tum in Oligarchiam ob *δημαγωγῶς*: tum in Tyrannidem, hujus rei causæ tres, *s. polit. c. 5.*



INTRODUCTIO IN  
tūm deniq; in pessimam Democratiam,  
Cujus remedium, *ibidem*.

Porro, omnium Rerumpub. brevissi-  
mæ vitæ, est Oligarchia & Tyrannis. *5. po-  
lit. 12.* Aristocratia & Politia specialiter,  
sic dictæ, minimæ sunt obnoxia, Demo-  
cratia rarius: Oligarchia frequentissi-  
mè, *5. polit. c. 1. sub finem*.

*Exposita propria sententia de causis corrumpen-  
tibus, Platoniam examinat.*

Hæc extat apud Platonem *in 8. libro de  
Republica.* Duo autem in ea examinan-  
da, agit Aristotel. Primum ejus senten-  
tiam de fatali Periodo & revolutione,  
post numerum τέλειον perfectum propo-  
nit. Deinde eandem solidissimè refutat,  
*5. polit. c. 12. sub fin.*

*Expeditæ sunt causæ corrumpentes.*

*Causæ conservantes, itidem dupliciter  
cōsiderantur, vel in genere, vel in specie.*

*In genere causæ conversantes, his theo-  
rematibus continentur, (quanquam qui  
causas evertentes novit, etiam conver-  
santes facilè agnoscer.)*

i. In



POLITICA ARISTOTELIS.

1. In Repub. ne quid contra leges.
2. Parvis initiis occurrendum.
3. Sophismatibus ad circumvenien-  
dum populum excogitatis, nulla fides  
adhibeatur.
4. Magistratus, omnibus æquitatem  
& humanitatem exhibeat.
5. Metu periculi tanquam propè in-  
stantis, cives interdum excitandi.
6. Primarii & illustres viri, nec ipsi in-  
ter se seditionibus conflictentur, nec ple-  
bem post se attrahant.
7. Census non semper nec ubique æ-  
qualis: sed interdum augeri, interdum  
minui debet.
8. Ne cuivis immodica & immodera-  
ta potentia permittatur, tum quod ad  
opes, tum quod ad amicos.
9. Ne ii, qui summos magistratus ha-  
bent, diu imperent.
10. Censores vitæ & morum, in Repub.  
sunt.
11. Magistratus, nullo pacto quæstui  
esse debet.
12. In Democratia divitum; in Oligar-  
chia pauperum ratio habenda.

C 3

13. Magi-



INTRODUCTIO, IN

13. Magistratus præcipui & maximi, tria hæc observent. 1. Ut præsentem, Reipubl. statum ament. 2. Ut ad munera sui magistratus obeunda sint apti, & experientiam habeant. 3. Ut sit in iis virtus & justitia &c.

14. Quæ pars in Republica, ei maximè fovet, potentior sit.

15. Potestatis & imperii modus est constituendus.

16. Educatio & disciplina, moribus Reipublicæ accommodetur. Nam vivere secundum Rempubl. non servitus, sed salus est judicanda.

Omnia hæc copiosius, s. *polit. c. 8. & 9.*

*Et sic actum de causis conservantibus in genere: jam ad causas conservantes in specie.*

*Causæ conservantes in specie duplices. Aliæ quibus bonæ, aliæ quibus vitiosæ formæ conservantur.*

*De causis quibus bonæ Respubl. conservantur.*

*Regnum conservatur s. *polit. c. 11.* in genere & specie. In genere, contrariis omnino*

*nò*



## POLITICA ARISTOTELIS.

nò modis, quibus corrumpitur. *In specie* verò moderatione regiae potentiae, ne scil. regib. nimia concedatur.

*Timocratia* est finitima Oligarchiae, 6. polit. c. 6. Ideò de ea nihil agit in specie Aristotel.

*Aristocratia* quoque causas conservantes in specie, nullas adfert Aristot.

*De causis, quibus mala Respubl. conservantur.*

Eas Aristot. non hoc nomine recenset, ut doceat & approbet malas formas, sed ut ostendat, quomodo tales Respub. à suis autoribus conservari soleant.

*Tyrannidis conservandae*, duo sunt modi, alter Barbaricus, & alter Sophisticus.

*Barbaricus*, est quo plerique tyranni imperant. Olim usitatus Persis, & Periandro Corinthio: hodie Moschis.

De hujus conservatione ista axiomata dantur. 5. polit. cap. 11.

Primum omnium in barbarico imperio prestantes viri occiduntur, magna & elato animo, è medio tolluntur.



210 INTRODUCTION

2. Sodalitates, familiaritates, scholæ, convivia interdicuntur; & omnia eò referuntur, ut cives inter se sint ignoti.

3. Satellites, & ministri tyrannidis, homines item peregrini, antè oculos omnium versantes, perspiciunt quid unusquisque civis agat; proinde ad eandem rem, exploratores adhibentur.

4. Calumniæ inter cives feruntur, dantur etiam opera, ut amici amicis, plebeiis patriciis insidiantur.

5. Omnes ad inopiam & paupertatem, tum perpetua servitute, excubiis, tum exactionibus inutilibus; tum bellis non necessariis suscipiendis, rediguntur.

Reliqua videantur, *s. polit. cap. II.*

*Sophisticus modus, cum tyrannus in omnibus regiam potestatem imitatur.*

Hic simulat se habere curam Reip. pudicitia (ideò propriam uxorem habet) pietatis & religionis: simulat gravitatem & humanitatē erga omnes: amorem erga benè meritos, &c. Vide *s. polit. c. II. sub finem.*

*Oligar-*



POLITICA ARISTOTELIS.

*Oligarchiæ species quarta conservatur, in genere & in specie, 6. polit. c. 6.*

*In genere conservatur, si omnia fiant contrario modo, quàm quo in Democratia fiunt.*

*In specie, si totus ordo, maneat penes ditiores; equitatus & gravis armaturæ (levis enim & navalis expeditio, in Democratia obtinet) ratio summa habeatur, 4. polit. c. 3. & lib. 6. c. 7.*

*In Democratia conservatione duo consideranda, Hypothesis & mores ejus seu leges.*

*Hypothesis, est libertas. Hujus signum est, per vices parere & imperare, deniq; vivere ut velis, 6. polit. c. 1.*

*Leges sunt in duplici discrimine, Aliis enim conservatur, aliis stabilitur.*

*Conservatur his; Si omnes magistratus, ex omnibus eligantur: si omnes singulis imperent & pareant per vices: si penes populum sit πολιτεια 6. polit. c. 2.*

*Stabilitur his; Si plebeiiorum numerus semper augeatur & crescat: si observen-*

C s

CUF



INTRODUCTIO IN  
tur instituta Clysthenis; si quaedam ty-  
rannica assumantur, &c. 6. polit. cap. 4. in  
fin. & toto cap. 5.

*Fuit de causis conservantibus tam in genere  
quam in specie: atq; adeo de specie-  
bus Reip. communibus.*

Sequitur forma Reipub. rara quæ nat<sup>ur</sup>  
Ex lib. 7. polit. c. 4. appellatur, ad imitatio-  
nem Platonis, ab Aristotele tanquam o-  
ptima conscripta.

*In hac duo consideranda. Finis ejus, &  
materia.*

*Finis ejus est beatitudo, quæ in civita-  
tem est introducenda.*

*De beatitudine autem hæc queruntur.*

I. *Quanam sit ista beatitudo seu, optima  
vita civitatis? R. Actio animi, conjuncta  
cum virtute, non tamen exclusis bonis  
fortuna, 7. polit. c. 1 13.*

II. *An eadem sit beatitudo totius Reipub.  
quæ singulorum hominum? R. Affirm. 7.  
polit. cap. 2.*

III. *Utra sit præstantior, practica, an theo-  
retica? R. Distinguitur, 7. polit. c. 2.*

IV. *Utrum*



POLITICA ARISTOTELIS.

IV. Utrum pluribus dominari sit optima vita?  
N. 7. polit. cap. 3.

V. Quanam sit beatitudo theoretica? Vide  
7. polit. cap. 3.

Sic de eius fine.

Materia hujus forma consistit in duobus, in Regione & Hominibus.

In regione tria sunt spectanda, Qualitas, Quantitas, Metropolis. 7. polit. c. 5.

Qualitas dupliciter spectatur. Vel respectu ipsorum civium; vel respectu hostium.

Respectu civium, debet regio esse *av-  
Taperetur* & sufficientissima. Quod erit, si omnium rerum sit ferax. 7. pol. c. 5.

Respectu hostium, debet esse difficilis ad incursiones, & facilis ad excursiones ibidem.

Sic est qualitas regionis.

Quantitas duo requirit. I. Ut ager sit tantus, ut incolæ possint facile in ocio temperanter, & liberaliter vivere, 5. polit. cap. 7.

II. Ut sit conspicuus, & antè oculos civi-



INTRODUCTIO IN  
civium. Idque ideò, ut reliqui ei facile  
opem ferre possint.

*Sub quantitate*, continetur divisio  
agrorum. 7. *polit. c. 10.* Dividi enim non  
posset, nisi esse quantus.

*De hac divisione duo querit.*

I. *An Philosopho sit agendum de divisione  
agrorum?* Affirm. 7. *polit. c. 10.*

II. *Quomodo ager sit dividendus?* R. Cuius  
civium pars danda, tum de vicinis, tum  
remotis agris. 7. *polit. c. 10.*

*Sic quantitas regionis se habet.*

*Metropolis*, est præcipua regionis ali-  
cujus urbs.

*In hac duo.* Situs, & Partes ex quibus  
constat.

*Situs* dupliciter spectatur, 7. *polit. c. 11.*  
tum quod ad alios, tum quod ad se.

*Quod ad alios*, requiritur., ut urbs sic  
vicina mari, nec nimum ab eo remota,  
7. *polit. c. 5. in fin.* Communio enim maris  
(quicquid alii dicant) est necessaria urbi,  
7. *polit. c. 6.* sicut & navalis potentia,  
*ibidem.*

Quod



## POLITICA ARISTOTELIS.

*Quod ad se situs, quatuor requirit. Ut sit salubritas aëris: Oportunitas loci, quod ad civilia & domestica negotia: Accessus hostibus difficilis: egressus civibus facilis: Aquarum & fontium abundantia, 7. polit. c. II.*

*Restat de partibus urbis.*

*Partes urbis considerantur, vel ratione hominum, diversas functiones habentium: vel, Ratione locorum.*

*Ratione hominum, 7. polit. c. 8. urbs dividitur, in agricolas, opifices, (qui non possunt dici cives in optima Republ. 7. polit. c. 9. sed tantum adjumenta) divites milites, sacerdotes (qui in civibus senibus, & emeritis deliguntur, 7. polit. c. 9.) & judicia.*

*Ratione locorum variè quoque urbs dividitur. Sunt enim loca urbis varia.*

*I. Propugnacula, & loca munita, 7. polit. c. II. Artes enim maximè regnis competunt.*

*II. Muri urbis. Debere esse mœnia, fossas circa urbem. probatur sex rationibus, ibidem.*

*III. Ædi-*



INTRODUCTIO IN

III. Aedificia privata.

IV. Tempia, 7. politic. cap. 12.

V. Magistratum canacula, ubi & Syfficia civium celebrantur, *ibid.*

VI. Forum: idque triplex. Liberum à commerciis, situm habens propè aedes sacras: Forum rerum venalium; Denique forum magistratum, in quo, Curia, Palatium, Prætorium, Tribunalia, 7. politic. 12.

*Actum de regione: porro de hominibus inhabitantibus regionem, agendum.*

*De hominibus tria quæruntur. 1. Quot 2. Quales esse debeant. 7. politic. c. 7. 3. Quomodo possint deduci ad beatitudinem seu ultimum finem. Ea enim sola civitas beata, in qua cives beati, 7. politic. c. 13.*

*De quantitate civium.*

*Quantitas habet, ἀφαιρέσις & θέσις.*

*In ἀφαιρέσει ostenditur, unde nullo pacto debeat aut possit aestimari numerus civium. Non debet aestimari ex multitudine hominum, 7. politic. c. 4.*

*Θέσις ostendit, unde sit aestimanda. Ex facultate scilicet, & δυναμει. Justa igitur multi-*



POLITICA ARISTOTELIS.

multitudo est, 7. polit. cap. 4 ea, quæ est  
ἀτακτοῦ ἀνὰ τὸν χρόνον ad benè vivendum ἀ-  
συνήθειαν ut scil. sit facilis civium noticia  
& conspectus.

*De qualitate civium.*

*Qualitas*, quærit quales debeant esse  
cives? R. Ingeniosi & animosi. Debent  
inquit Aristot. habere animum & inge-  
nium. Id est, apti ad virtutes mentis &  
morum, 7. polit. c. 7. Sic enim beati erunt.

*Quomodo deducendi ad beatitudinem?*

Deducuntur cives tribus modis ad  
beatitudinem, Per naturam, Consuetu-  
dinem, & Leges, quæ institutionem re-  
quirunt, 7. polit. c. 13.

*Institutio duplex.* Publica & privata.  
De hac posteriori nil agitur in politicis.  
Quia videtur spectare ad Oeconomica.

*Publica institutio duplex.* In virtutibus  
belli & pacis, 7. polit. 14.

*Belli finis triplex*, ne aliis serviamus,  
sed ut imperemus, dominemur. Gravi-  
ter certè Lycurgus peccavit, qui per le-  
ges, cives suos tantùm in virtutibus bel-  
licis instituit, 7. polit. 14.

*In vir-*



## INTRODUCTIO IN

*In virtutibus pacis, quibus maximè ci-  
ves exercendi, duo requirit Arist. Nam,  
vel est institutio quod ad corpus, vel,  
quod ad animum.*

*Initium fieri debet ab institutione cor-  
poris, 7. polit. c. 15.*

*In qua duo, Generatio & Educatio, 7.  
polit. c. 16.*

*In Generatione, maximè de conjugio  
tractatur, 7. polit. 16.*

*De quo in eod. capite ista queruntur.*

I. Ætas legitima ne scil. sint, nimium  
juvenes vel senes sed apti. Apti autem  
Viri, ab anno 37. ad 70. Mulieres à 20.  
ad 40.

II. De habitu corporis, Quales esse  
debeant? Non debent esse valetudinarii,

III. Anni tempus.

IV. Cura prægnantium.

V. Infantum expositio

VI. Adulterium, tanquam contrariū  
conjugii repræhenditur.

*Post tractatum de generatione : agit  
de educatione.*

*Educatio continet diversas ætates ho-  
minum.*



## POLITICA ARISTOTELIS,

*Est ergo vel priorum septem annorū,  
vel à septimo ad 27. 7. polit. c. 17.*

*Educatio priorum septem annorum,  
dividitur, 7. polit. 17. in infantiam & pue-  
ritiam.*

*Infantia est in duobus primis annis.*

*His ergo annis, agitur.*

**I.** *De nutrimento.* Alendi lacte materno.

**II.** *De motu corporis,* tam in cunis, quam  
in ulnis.

**III.** *De cultu,* quod ad aërem externum  
oportet infantes frigori asuescant.

*Pueritia, vel prima est, vel secunda.*

*Pueritia prima est anno tertio, quarto,  
quinto. De hac ista præcepta. 1. Non sunt  
pueri laboribus fatigandi, nec ad scholas  
ducendi, 2. Habeant quædam exercitia  
ad ignaviam depellendam. 3. Audiant  
fabellas ad vitam utiles. 4. Ploratus iis  
non prohibendus. 5. Non permitten-  
dum, ut cum servis versentur.*

*Pueritia secunda seu extrema est anno  
sexto, septimo. Hic requiritur, ut præ-  
gustent, & quasi à longinquo aspiciant  
studia in posterum pertractanda. Omnia  
hæc 7. polit. c. 17.*

D

In



## INTRODUCTIO IN

*In institutione ab anno septimo ad 27.  
8. polit. c. 4. tria quærentur.*

I. *An debeat esse quedam publica institutio  
juvenum? Affirm. 8. polit. c. 1.*

II. *Qualis, communis an privata? R. Com-  
munis. 8. polit. c. 1.*

III. *Quibus in rebus? R. In necessariis  
per totam vitam. 8. polit. c. 2. & 5.*

*Necessaria per totam vitam duo sunt, Vir-  
tus, 8. polit. 2. & Artes.*

*Artium alia illiberales, ut mœchani-  
cæ; indignæ profectò, quibus homo in-  
genus operam det, 8. polit. c. 2.*

*Alia liberales. In quibus, Modus & Nu-  
merus spectandus.*

*Modus, ne nimum diu, in una arte &  
scientia detineantur, 8. polit. c. 2. 1. Ethic. c. 2.*

*Numerus continet divisionem vitæ hu-  
manæ, 8. pol. c. 3. vel enim artes inserviunt  
tempori negotii, vel ocii.*

*Quæ inserviunt tempori negotii, sunt du-  
plices: Animi & corporis.*

*Animi, sunt duæ. Grammatica, cujus  
utilitas in vita practica ostenditur, 8. polit.  
c. 3. & pictoria, cujus usus ibidem.*

*Corpo-*



POLITICA ARISTOTELIS,

Corporis est una, nempe gymnastica. 8. polit. c. 3. in qua primùm omnium pueri exercendi, 7. polit. c. 15.

De hac tria quærentur.

I. Quid sit? R. Ars corporis habitum corroborans. 8. polit. c. 3. in fin.

II. Quomodo in ea exercendi? R. Non athleticè ut Lacones, 8. polit. c. 4. nec remissè sed mediocriter, ibidem.

III. An simul exercendi in corporis & animi artibus? R. Nequaquam, sed diversis temporibus, in diversis, 8. polit. c. 4.

Sequitur ars ocii & quietis.

De hac agitur, tum in genere tum in specie.

In genere, de ocio quæritur.

I. Quid nam præstet, Ocium an Negotium, R. Ocium, 8. polit. 3.

II. Cur ocium hominibus necessarium & expectandum? Vide resp. 8. polit. n. 7.

III. Quale debet esse ocium? R. Non iners, sed honestum, 8. polit. n. 6.

In specie quæritur, quæ sit illa ars? R. Musica, 8. polit. c. 3. 5.



## INTRODUCTIO IN

*De hac varia.* I. *An Musica discenda?*

Affir. 8. polit. c. 5.

II. *Ad quid profit?* Vide resp. 8. polit. c. 5.

III. *Quotuplex sit?* Vide. 8. polit. c. 6. *Vocalis & instrumentalis.*

*De his conjunctim ista.:*

I. *An utraq; juveni discenda.* R. Affirm. 8. polit. cap. 6.

II. *Quomodo discenda?* R. Non scrupulosè quaestiones indagando, sed tantùm quod ad usum.

III. *Quibus instrumentis Musicis utendum?* Vide resp. 8. polit. n. 28.

IV. *Quod objectum Musicae?* R. Cantus, 8. polit. cap. 6.

*Hujus triplex divisio.*

I. In harmonias & rythmos 8. pol. c. n. 29.

II. Ratione usus triplicis. Alii enim profunt ad mores, alii ad actiones, alii ad concitationes. His apud quos uti debeamus, 8. pol. n. 30.

III. Cantus, vel est Phrygius, vel Dorianus, quo maximè utendum, vel Lydius, 8. polit. n. 30. Nobis non constat, quales illi cantus fuerint.

*Et huc*




**POLITICA ARISTOTELIS,**

*Et hucusq; Aristotelis Politica extant. Reliqua omnia interciderunt. Desudavit, ut amissos libros restitueret Cyriacus Stroza. Quo successu, docti judicant & judicabunt. Nos hic subsistemus, Deum precantes, ut si hac viris bonis & eruditis placuerint, nobis in posterum animum addat, ad hanc introductionem in Politica, copiosius explicandam.*

**A M E N.**


**Soli Deo, Patri Filio & S. Sancto, Trino  
& Uni, sit laus in sempiterna  
saecula,**







*Ex Officina Typographica  
Christophori Lochneri.*



A N N O

---

M D C I I I.







✓ Apologia









LIBRARY







Inches  
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18

Farbkarte #13

B.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Bl

ASARIS

CII LITUA

TORIS

bro

RISTOTELIS

CTIO.

& Rameis

tura.



ERGÆ;

hori Lochneri,

C I I L.

hk  
75

8